

totæ in toto licet non totaliter. Quare intra suam sphaeram non videntur diverso modo esse, quam Deus ubique, et solum erit differentia, quia Deus habet majorem sphaeram, scilicet infinitam, et Angelus finitam. Sed adhuc dicimus, quod Angelus existit minus divisibili modo, quam Deus, quia ejus virtus, et operatio qua applicat se corpori, vel unio, qua illi unitur est magis dependens a corpore, eo quod præsupponit corpus, ex quo tamquam ex subjecto operetur, et ideo ejus unio, seu operatio ad corpus saltem ex

parte ipsius corporis divisibilitatem habet, et potest pars unionis poni, et pars tolli, sicut unio animæ ad unam partem corporis potest tolli, et quoad alteram manere. At vero virtus, et operatio Dei non est dependens a corpore, ut a subjecto, cum etiam ipsi subjecto præbeat esse, et ita est magis indivisibilis, et independens, licet ex parte termini, seu effectus non totaliter se explicet in uno effectum, quin etiam in aliis possit se explicare, et ideo licet sit totus in quolibet loco, sed non totaliter respectu effectuum.

## QUÆSTIO IX.

# DE IMMUTABILITATE DEI.

### SUMMA LITTERÆ D. THOMÆ.

Duo circa immutabilitatem Dei agit D. Thomas. Primo, ex parte ipsius Dei ostendendo esse omnino immutabilem in articulo primo. Secundo, ex comparatione ad creaturam, ostendendo omnem creaturam esse mutabilem, vel quantum ad esse, vel quantum ad aliqua accidentia, sive in loco existendo, sive secundum alia accidentia in articulo secundo.

#### NOTATIO CIRCA LITTERAM DIV. THOMÆ.

I. Primo, notandum est, quod immutabilitas Dei potest probari, vel ex effectibus a posteriori, vel ex aliis attributis divinis. Ex effectibus demonstratur immutabilitas Dei ostendendo deveniendum esse ad aliquod principium immobile, quod a nullo dependeat, nec immutetur. Et hujusmodi demonstrationes prosecutus est D. Thomas supra, q. II, art. III, ostendendo Deum esse, et I contra gent. c. XIII, et opusc. II, cap. III. Et nos supra D. Thomæ rationes defendimus, et explicavimus, licet aliquibus inefficaces videantur, ut p. Suarez in met. disp. XXX, sect. VIII, ubi rejicit demonstrationes D. Thomæ censetque non posse ex aliquo effectum omnimodam Dei immutabilitatem demonstrari, et idem affirmat lib. II de attributis negativis, cap. III. In præsentibus vero non est quod immoretur in explicandis istis rationibus D. Thomæ, quia jam supra explicatæ sunt, et ostensum, in quo sensu verificen-

tur illæ duæ propositiones philosophi, quibus tota hæc demonstratio innititur, scilicet: Omne quod movetur ab alio movetur, et in causis moventibus non esse procedendum in infinitum.

II. Ex attributis autem divinis probavit D. Thomas in præsentibus omnimodam immutabilitatem divinam, prius quidem ex auctoritate Scripturæ, ut est illud Malach. III: *Ego Deus, et non mutor*, ubi ad litteram videtur loqui Scriptura de immutabilitate divini propositi, sicut etiam Numeror. XXIII: *Non est Deus ut homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur*. Amplius vero immutabilitas Dei in natura, prout est radix æternitatis asseritur in illis verbis Psal. CI: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*, ubi tangitur omnimoda immutabilitas dicendo ipse es, et æternitas dicendo quod anni non deficient, denique Jacobi I dicitur: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, ubi negatur transmutatio, quod pertinet ad immutabilitatem naturæ di-

vinæ in se, et obumbratio vicissitudinis, quod pertinet ad æqualitatem in distribuendo effectus externos, quia Deus non distribuit lumen suum sicut sol, qui aliquando occidit, aliquando oritur, et sic facit vicissitudinem in obumbrando, et in lucendo. Deus autem sine tali vicissitudine omnibus præbet, id quod cuilibet debeatur. Videtur Cajetanus super hunc locum Jacobi.

III. Ratione autem probavit S. Thomas omnimodam immutabilitatem divinam ex illis attributis, quæ sunt propria fundamenta talis immutabilitatis, scilicet, et ratione actus puri, ex simplicitate, et infinitate Dei: hæc enim attributa destruunt tres conditiones, quæ essentialiter requiruntur, ut saltem aliqua illarum ad veram mutationem, unde destructis illis manifeste tollitur omnis immutabilitas a Deo. Requiritur autem ad mutationem, seu motum primo, potentialitas cum privatione, quæ se habet, ut terminus a quo. Secundo, requiritur subjectum mutabile, et susceptivum diversarum formarum ad quas fit mutatio, licet in mutatione metaphysica, qualis est creatio non requiratur subjectum, sed solum est transitus, ex termino a quo ad terminum ad quem. Tertio, requiritur ad mutationem terminus ad quem, qui est forma de novo producta. Sic ergo D. Thomas tribus rationibus probat omnimodam immutabilitatem Dei. Prima, quia est actus purus, et consequenter caret omni potentialitate et consequenter caret privatione formæ, quæ se habet ex parte termini a quo. Secunda ratio probat, Deum non esse subjectum capax, et susceptivum motus, quia non potest componere cum aliqua forma sibi de novo adveniente per motum cum sit summe simplex, ergo est incapax mutationis, quia est incapax compositionis, et sic ex

summa simplicitate probatur immutabilitas. Denique, ratione infinitatis probat nihil posse advenire de novo, et accrescere Deo, qui habet in se omnem perfectionem, cum infinita sit, et consequenter non potest accipere de novo aliquam formam, nec moveri ad aliquem terminum atque ita caret motu, quia caret termino ad quem.

IV. Secundo, circa mutabilitatem creaturarum advertendum est D. Thomam omni creaturæ tribuere mutabilitatem penes existentiam, penes operationem, seu attingentiam ad finem, et penes aliqua accidentia v. g. locum, et similia.

V. Circa existentiam potest dupliciter considerari mutabilitas creaturæ; primo, ratione potentiæ ex parte ipsius agentis, quæ solum respicit ex parte creaturæ potentiam objectivam, circa quam potest agere; et hoc modo possibilitas creaturæ non est aliud quam denominatio extrinseca proveniens a potentia, quæ est in agente, qua ratione creaturæ dicuntur possibles denominative, seu objective denominatione derivata a potentia Dei, non autem per aliquid intrinsecum in creatura, quæ nulla est ante actualem productionem. Unde implicat creaturam aliquam reddi impossibilem, nisi ex mutatione divinæ potentiæ, quia possibilitas ejus est denominatio a tali potentia proveniens. Hoc autem modo omnis creatura est mutabilis tam quoad esse, quam quoad non esse, seu quoad annihilationem per potentiam existentem in Deo, quatenus potest illam reducere de non esse ad esse producendo, et postea de esse ad non esse annihilando. Ubi nihil mutatur de ipsa creaturæ possibilitate, sed de esse, et non esse, ad quod sufficit potentia Dei extrinseca agens, et potentia objectiva creaturæ.

VI. Alio modo dicitur mutabilis creatura, quantum ad esse, et corruptionem non solum per potentiam extrinsecam agentis dantis vel tollentis esse effective, sed etiam per potentiam materialem tenentem se ex parte creaturæ, per quam est indifferens ad habendum vel amittendum esse. Et hoc modo negat D. Thomas aliquas substantias esse variabiles, et mutabiles secundum esse, vel non esse, quia non sunt variabiles quantum ad formam substantialem, a qua provenit esse, et ita solum voluit dicere D. Thomas quod sunt aliquæ substantiæ incorruptibiles, licet sint annihilabiles a Deo per subtractionem influxus dantis esse. Quare non negavit D. Thomas in istis substantiis incorporeis recipi existentiam tamquam in susceptivo, et materiali causa illius, cum expresse dicat in hoc articulo secundo, quod tales formæ subsistentes se habent ad esse ipsarum sicut potentia ad actum, et ex multis locis D. Thomæ ostendimus supra disputatione quarta, dari in Angelis compositionem ex essentia, et esse. Sed docet D. Thomas in præsentis non esse istas substantias mutabiles ad non esse per susceptionem alicujus formæ corrumpentis, et hac ratione dicitur non habere potentiam materialem ad esse, et non esse, id est, ad formam substantialem dantem esse, vel corrumpentem illud; bene tamen habent potentiam recipientem esse ex influxu Dei, et per suspensionem talis influxus vertibilem in nihil. Ista tamen mutatio dicitur fieri per potentiam agentis tollentis, vel influentis esse potius, quam per potentiam ipsius subjecti petentis diversas formas, quarum una corrumpat aliam, et tollat esse illius. Sed de hoc amplius dicemus infra q. I, art. v.

VII. Quare constat, quod ad mi-

nus omnis creatura est mutabilis quantum ad suum esse per potentiam extrinsecam Dei influentis illis esse, et respicientis potentiam objectivam in creatura, non tamen omnis creatura habet potentiam receptivam diversarum formarum, ex quarum variatione varietur esse per earum corruptionem, sed id solum convenit creaturis constantibus ex materia, et forma corruptibili modo conjunctis. Omni tamen creaturæ etiamsi sit forma sine materia convenit potentia materialiter susceptiva existentiae, eo quod existentia etiam in illis distinguitur ab essentia, ut supra disputatione quarta ostensum est. Neque ex hoc sequitur, quod tales essentiae non creentur si existentia earum producit, ut recepta in illis, et consequenter, ut dependens a causa materiali, quod est contra rationem creationis, ut Suarez urget disp. xxxi, met. sect. viii, nu. iii. Sed respondetur quod causa materialis non repugnat creationi, quando ipsa etiam producit, et tenet se ex parte termini ad quem, sed quando præsupponitur, ita quod ex ipsa aliquid educitur, tunc repugnat creationi, sicut etiam cælum creatur, licet forma ejus fiat dependens a causa materiali, quia ipsa etiam materia cæli est producta per talem actionem, et ex parte termini ad quem se tenet, non ad ipsum educendum præsupponitur.

VIII. Circa aliam mutabilitatem creaturæ non solum circa suum esse, sed etiam circa suam operationem, et circa alia accidentia v. g. locum circa quem est mobilis, vel alia accidentia, quæ a superiori causa potest recipere, D. Thomas in præsentis articulo secundo sentit omnem creaturam esse mutabilem, vel quantum ad operationem, vel quantum ad accidentia, de quo etiam videri potest doctor sanctus opusculo

LXIII, ubi ostendit quod nulla creatura potest habere bonitatem ex sola substantia sine accidentibus. Et primo contra gent. cap. XXIII, docet nullam substantiam esse incapacem accidentium, nisi divinam.

IX. Quod vero specialiter in omni substantia debeat distingui operatio ejus, et virtus activa, seu operativa D. Thomas docet in hac prima parte, q. LIV, art. III et q. LXXVII, art. I, cujus rationes minus efficaces visæ sunt p. Suarez, disp. XVIII met. sect. III, num. XVI. Eas tamen defendimus in physica, q. XII, art. II, et in libris de anima, q. II, art. II. Et iterum infra quæstione LIV, agendo de intellectu, et operatione Angeli explicabimus rationes D. Thomæ quibus probavit intellectum, et intellectionem distingui a substantia Angeli. Et idem est de quacumque operatione creaturæ, quia semper operatio limitata, et creata exit ab operante, ipsumque supponit existere, et sic debet ab eo distingui, et operans ipsum debet esse mutabile de non operatione in operationem, et de una operatione in aliam. Sed de hoc amplius dicetur citato loco. Ex hoc autem sequitur, id quod dicit S. Thomas in præsentis articulo secundo, quod quælibet creatura mutabilis est penes assecutionem sui finis, sic enim per operationem aliquem obtineri debet, et consequenter per aliquam mutationem, sicut

in creaturis rationalibus obtinetur finis per electionem liberam, quæ vertibilis est de bono in malum, unde et omnis creatura rationalis est capax peccati, de quo dicemus infra quæstione LXII.

X. Denique, est mutabilis creatura secundum locum, quia nulla res etiam spiritualis est immobilis, de quo infra quæstione LIII agetur. Potest etiam recipere aliqua accidentia, ex divina participatione, quia omnis creatura habet potentiam obedientialem respectu Dei, ut immutetur ab ipso sicut ei placuerit, vel quoad novam perfectionem, vel quoad novam operationem, non posset autem potentia ista obedientialis intelligi si non esset capax accidentium substantia illa, quæ habet talem potentiam obedientialem, si quidem per illam capax esse debet immutationum de novo advenientium tali substantiæ, quæcumque accidentaliter se debent habere ad ipsam, nam si substantiam mutarent, solverent speciem. Unde nulla est creatura, quæ non possit meliorari a Deo secundum accidentales perfectiones, ut tradit D. Thomas, I p. quæst. XXV, articulo ultimo et videri potest in I ad Annibaldum, distinct. XLIV, quæst. II. Et sic patet quod omnis creatura est mutabilis aliqua mutatione accidentali.

## QUÆSTIO X.

# DE DEI ÆTERNITATE.

### EXPLICATIO LITTERÆ D. THOMÆ.

Ex immutabilitate Dei, de quo agit D. Thomas quæstione præcedenti sequitur æternitas, quæ importat durationem immutabilem. De æternitate autem duo considerat D. Thomas in præsentis. Primo, considerat æternitatem secundum se. Deinde, comparative ad durationes creatas. De illa secundum se considerat in tribus primis articulis. De ipsa vero comparative in ordine ad durationes creatas in aliis tribus articulis.

Primo ergo explicat D. Thomas definitionem æternitatis in primo articulo. Deinde, in secundo ostendit convenire Deo, et in tertio, ita esse proprium Dei esse æternum, quod alteri non potest convenire loquendo proprie de æternitate. Definitionem æternitatis explicat ex duobus, quæ ad illam concurrunt, scilicet interminabilitas durationis, quia fine, et principio caret, et immutabilitas, ratione cujus caret successione, et sic definitur æternitas, quod est interminabilis vitæ tota simul, et perfecta possessio. Quam definitionem infra latius explicabimus.

Ex eodem principio colligit Deum esse æternum, quia est immutabilis, ita quod sicut ratio temporis consequitur motum, seu mutabilitatem, ita æternitas immutabilitatem. Et similiter colligit articulo tertio, proprium esse Dei esse æternum, quia proprium ejus est esse immutabilem, licet secundum quod aliqua participant aliquo modo immutabilitatem, etiam suo modo participant æternitatem. De quibus omnibus agemus in disputatione sequenti.

Circa secundam considerationem æternitatis, primo comparat D. Thomas æternitatem cum tempore; deinde cum ævo, quod est mensura durationis creatæ permanentis, seu non successivæ; et tandem considerat ipsum ævum in se ipso an sit unum, vel plura. Differentiam ergo æternitatis a tempore ostendit D. Thomas articulo quarto accipiendam esse primo, et per se ex eo quod tempus consequitur ad motum, et successiorem, æternitas vero omni caret successione, et est tota simul.

Differentia autem æternitatis ab ævo consideratur a D. Thoma articulo quinto, quia ævum mensurat illa, quæ in suo esse non habent transmutationem, bene tamen in operationibus, vel accidentibus, sicut e contra tempus mensurat ea, quæ sunt mutabilia secundum esse, et non solum secundum operationem. Æternitas vero mensurat id quod neque in esse, neque in operatione, vel in aliquo alio compatitur mutationem. Denique, in articulo sexto, ostendit dari unum tantum ævum, sicut datur unum tantum tempus, sicut enim motus simplicissimus, et regularissimus fundat unam rationem temporis mensurantis reliquos motus, et durationes eorum, ita prima substantia æviterna habet unum ævum simplicius, et perfectius, quod mensurat alia.